



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

De fortitudine, prout est virtus generalis & etiam specialis, & de infimo gradu eius: ac qualiter consequitur delectationem in opere suo. Cap. LXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

dictum. Licet enim, secundum Gregorium, vox maledictis esset in auribus, animus tamen inclinabat se ad benedictionem, intēdens quid in occulto faceret Deus: nimirum cum spiritu prophetico prænoverat hanc esse virtutem singularem nostri Redemptoris, cum in eius persona diceret: *Improprium expectavit cor meum & miseriam*. Et iterum: *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominū, & abiectio plebis*. O humilitas virtus Christi, quantum confundis superbiam nostram vanitatis, cum in eius passione nihil fuit abiectiois, quod impijssimi non irrogarent, nihil quod eius humilitas non affectaret: ut discamus ab eo quicumque spiritu inrumescimus: quicumque grandia concupiscimus, quia *mitis est & humilis corde*. O Domine Iesu, quam mitis & quam humilis. *Ego sum*, inquit, *vermis*, scilicet per abiectioem, et si homo per naturam, tamen, *opprobrium hominis*, quia *omnes vident me, deriserunt me*. *Exemplum e nim dedit vobis ut & vos ita faciatis*.

Psal. 68:

Psal. 21.

Matth. 11.

Psal. 21.

Ioan. 19.

De fortitudine, prout est virtus generalis & etiam specialis, & de infimo gradu eius: ac qualiter consequitur delectationem in opere suo. Cap. LXX.

Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus amulatio. Cantic. 8. Quasi diceret Christus ad animam fidelem. Sicut mors animam separat à corpore, sic dilectio qua te diligo fecit, ut animam pro te ponerem in mortem. Et sicut mors nec prece, nec pretio, nec minis retardari potest, sic nec mors mea retardari potuit quacunque malitia vel iniuria. Fortis, inquam, fuit dilectio mea, cum te ad imaginem meam condidi; fortior, cum naturam tuam indui; fortissima, cum pro te mori volui. Dura etiam fuit amulatio, id est, feruens dilectio mea, sicut infernus. Quia sicut inferni poena non remittitur in ardore, sic nec dilectio mea in feruore quacunque Iudaeorum malitia saeviente. Unde dicit Gregorius: Fortis fuit Christi dilectio in aggrediendo: sed dura fuit eius amulatio, in sustinendo convicia opprobriorum; durior, in tolerando immunditiam sputorum; & durissima, in patiendo acerbiter tormentorum. Exemplum enim dedit nobis ut & nos ita faciamus: & hoc per virtutem fortitudinis, quae est tertia virtus cardinalis, quam & Seneca magnanimitatem vocat, per quam scilicet vis irascibilis rectificatur in aggrediendis arduis, & in tolerandis gravibus. Est enim fortitudo virtus, medio modo se habens secundum rectam rationem circa timores & audacias. Est & fortitudo habitus, quo quis

Fortitudo.

Sf 4. quis

Fortitudinē
sumi bifa-
riam.

quis quandam animi firmitatem consequitur, per quam animus stat immobilis, etiam contra timores periculorum mortis: & hoc in medietate, per quod fortitudo rationem habet virtutis, cuius est esse in medio, vel rationis, vel rei. Vnde quia voluntas humana potest impediri per aliquod difficile, quod incumbit, ne sequatur rectitudinem rationis, ideo requiritur fortitudo metis, qua scilicet huiusmodi difficultatibus homo resistat, sicut per corporalem fortitudinem impedimenta corporalia repellit & superat. Sciendum tamen, quod nomen fortitudinis dupliciter accipi potest. Vno modo, secundum quod importat absolute quandam animi firmitatem: & secundum hoc est virtus generalis, vel potius conditio cuiuslibet virtutis: quia secundum Philosophum 2. Ethicorum, ad virtutem requiritur firmiter & immobiliter operari. De quo dicit Ambrosius 1. libro de officiis: Non mediocriter animi est fortitudo, qua sola defendit ornamenta omnium virtutum, & iudicia custodit, & qua inexpiabili pretio aduersus omnia vitia decertat, inuicta ad labores, fortis ad praelia, rigidior aduersus voluptates, & auaritiam fugit tanquam labem quandam, qua virtutem effeminat. Et Gregorius: Fortitudo iustorum est carnem vincere, proprijs voluntatibus contraire, delectationem vitae praesentis extinguere, huius mundi aspera pro praemijs aeternis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, metum aduersitatis in corde superare. Alio modo potest accipi fortitudo, secundum quod importat firmitatem animi in sustinendis & repellendis, in quibus maxime difficile est firmitatem habere, scilicet in aliquibus periculis grauib: & sic ponitur virtus specialis, utpote determinata habens materiam. Habet enim duplicem materiam, vel obiectum. Materia principalis est mors, secundaria vero pericula, qua scilicet imminent, vel in aggressione, vel in perpessione. Dicit enim Tullius in Rhetorica, quod fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio. Et tunc ponitur virtus cardinalis siue principalis, vna de quatuor, qua potissimum sibi vedit laudem firmitatis in arduis aggrediendis, & grauib: sustinendis. Nam tanto magis laudatur qui firmiter stat, quanto patitur grauius impellens ad cadendum & retrocedendum, sicut dolores & pericula, maxime qua ducunt ad mortem, contra qua fortis firmiter stat. Vnde Seneca: Magnanimitas, qua & fortitudo dicitur, si insit animo tuo, viues cum magna fiducia, liber, intrepidus, alacer. Magnū humani animi bonum est, finem huius vitae intrepidum expectare. Est igitur obic-

Materia
fortitudi-
nis.

obiectum fortitudinis propriè circa mortem & pericula maxima:
 quia propriè fortitudo dicitur, quæ firmiter tenet hominis voluntatè
 in bono rationis contra maxima mala. Qui verò firmiter stat contra
 maiora, consequens est, quòd etiam firmiter stet contra minora. Et
 ideo quamuis fortitudo bene se habet in omnibus aduersis tolerandis,
 non tamen ex toleratione quorumlibet aduersorum reputatur quis
 simpliciter fortis, sed solum ex hoc, quòd bene tolerat maxima ma-
 la, sicut mortè & pericula mortis. Est autè actus fortitudinis principaliter
 circa timores rerum difficilium, quæ retrahere possunt voluntatè à
 sequela rationis: & etiam circa audacias, quia non solum oportet im-
 pulsam huiusmodi difficilium firmiter tolerare, cohibendo timorè,
 sed etià aggredi moderatè, quando oportet ea exterminare ad securita-
 tem in posterum habendam, quòd pertinet ad rationem audaciae. Sicq;
 fortitudo est cohibitiua timorù, & moderatiua audaciarù. Caeterum,
 fortitudo secundùm quadruplicè eius gradum, quadrupliciter diffini-
 tur à Macrobio. Primus enim gradus facit hominem omnem metum
 pro utilitate Reipublicæ postponere, & nihil nisi turpia formidare: &
 sic est virtus politica, siue ciuilis, quæ est animum supra periculi metù
 erigere, nihilq; nisi turpia formidare. De qua dicit Seneca sub nomi-
 ne magnanimitatis: Si magnanimus fueris, nunquam iudicabis tibi
 contumeliam fieri. De inimico dices: Non nocuit mihi, sed animum
 nocèdi habuit. Et cùm illum in potestate tua videris, vindictà putabis
 vindicare potuisse. Scito enim magnù & honestù genus esse vindictæ,
 ignoscere. Eris magnanimus, si periculosa non appetas vt temerarius,
 nec formides vt timidus. Nam timidum non facit animum, nisi re-
 prehensibilis vitæ conscientia mala. Ad magnanimù etiam pertinet,
 vt dicit Tullius, neque perturbationi, neque homini, neque fortuna
 succumbere, & ea, quæ videntur acerba, ita ferre, vt nihil à statu na-
 turæ discedat, vel à dignitate sapientis. Veruntamen, vt dicit Seneca,
 animù tam excellentem & moderatum, potentia cælestis agitat. Non
 enim potest res tanta sine adminiculo numinis stare, quemadmodum
 radij solis terrà quidè contingunt, sed ibi sunt vnde mittuntur. Sic
 animus magnus ac sacer conuerfatur quidem nobiscù, sed hæret ori-
 gini suæ. Non enim mirum est in tranquillitate non cõcuti, sed illud
 mirare, ibi aliquem extolli, vbi omnes deprimuntur; ibi stare, vbi
 omnes iacent. Et si quaritur. Vtrum fortitudo, prout est virtus poli-
 tica, causat in actu suo delectationem, præsertim, quia dicit Philosophus

Gradus
 fortitudi-
 nis.

1.

T t tertio

Delectatio
duplex.

tertio Ethicorū, quòd fortis in actu suo nihil delectabile videtur habere: & iterum dicit, quòd à forti non requiritur quòd delectetur, quasi delectationem sentiens, sed sufficit quòd non contristetur. Ad hoc dicendū, secundū Thomam, quòd duplex est delectatio. Quaedam enim est corporalis, quæ consequitur tactum corporalem, & illā delectationem non consequitur fortis in actu suo principali, qui est sustinere, quia sustinere persecutiones, flagellationes, excoriationes, vulnera, membrorū detractiones, vel mortem, est contristabile & dolorosum humanæ naturæ. Hoc enim negare, esset negare eos esse carnales, quia si habent carnem sensibile, necessariò sequitur, quòd laesura inferat eis dolorem. Alia verò delectatio dicitur animalis, quæ scilicet apprehensionem animæ consequitur. Et hæc delectatio propriè consequitur opera virtutum: quia consideratur in eis bonum rationis. Et secundū hoc fortis aliquam delectationem consequitur, licet etiā secundū apprehensionē animæ habeat vnde doleat, eo scilicet, quòd vitā corporalem amittit, quā virtuosus amat, nō solū in quantum est bonū naturale, sed etiā in quantum est necessaria ad opera virtutū, & quæ ad ea pertinet. Et sic fortis habet ex vna parte quò delectetur secundū delectationē animalem, scilicet de actu virtutis, & de eius fine: habet etiā ex alia parte vnde doleat, nō solū corporaliter propter illatas penas, sed etiā animaliter propter amissionē vitæ: Hinc dicebat Eleazarus: *Duros corporis sustineo dolores, secundū animā verò, propter timorē tuū libenter hæc patior.* Veruntamen sensibilis dolor corporis ipsis facit non sentire delectationem animalem virtutis, nisi forte hoc faceret exuberans gratia Creatoris, vt postea videbitur. Cuius ratio est, quia licet quædam sit delectatio virtutis in opere fortitudinis, propter dolorem tamen sensus impeditur mens fortis, ne in operatione propria delectationem sentiat, eò quòd vehemētia passionis vnius potētia, aliam impedit in actu suo, propter connexionem potentiarum ad inuicem: nihilominus tamen virtus fortitudinis facit, vt ratio non absorbeat à corporalibus doloribus, facit inquam, quòd delectatio virtutum superat animalem tristitiam, in quantum homo præfert bonum virtutis corporali vitæ, & quibusdam ad eam pertinentibus,

2 Macha. 6.

De fortitudine prout est virtus purgatoria, & purgati animi, & de Martyrio, in quo concurrunt quatuor actus virtutum.

Cap. LXXI.

Fortis